

ita præparatum non magnoperè albescit.
Eodem quoque modo pantherina & leoni-
na, aprugna, camelina & equina, hisque si-
milia pingua præparari oportet.

Quomodo pingue odoramentis imbuendum sit.

C A P . x c i .

Vitulinum autem ac taurinum pingue,
nec non ceruinum, atque etiam huius ani-
malis medulla odoramētis imbuūtur hunc
in modum: Pingue quod odoratum reddi
debet, demptis membranis quo diximus
modo elotum, ac vino odorato nulla maris
aqua diluto feruefactum, tandem ab igne
tollito, ac inibi pernoctare finito. Tūm al-
tero eiusdem generis vino ac eadem qua-
priūs mensura affuso, ipsum colliquato, &
accuratè defæcato: mox nouem eius hemi-
nis iunci Arabici drachmas septem adii-
cito. Quod si ipsum flagrantioris odoris fie-
ri voles, quadraginta floris eiusdem drach-
mas superaddito, cum palmæ, caissæ & cala-
ini totidem singulorum drachmis: aspalathi
& xylobalsami, ana drachma vna: adde &
cinnamomi, cardamomi, nardi, ana vñciām
vnam. Omnia verò minutius contundan-
tur: deinde affuso vino odorato, vas opercu-
latum supra carbones firmiter collo cato, ac
ter omnia conferuefacito: tūmque vas ab
igni semotum pernoctare finito. Postridie
vino

vino effuso, nouoque generis eiusdem addito, ter simili modo conferuefacito atque dimittito. Mane vero, exempto pingui vi-
num effundito, & abluto vase, purgatoque
quod imo subsidens haeserat, ipsum eliqua-
to: postremo excolatum ad usus recondito.
Hoc eodem modo imbuitur odoramentis,
quod anteà curatum est. Verum antedicta
pingua in sequentein modum prius inspi-
fari par est, quòd facilius odoramentorum
vires in se recipiant. Itaque assumens quo-
cunque horum volueris, cum vino feruefa-
cito, simul immisso myrti raimulo, serpylo
ac cypero, insupérque aspalatho exactius
tuso. Aliqui tamen ad hunc usum uno dun-
taxat horum contenti sunt. Cum autem
tertiò efferbuerit, leniter exemptum & lin-
teo transfusum, odoramentis, uti demon-
stratum est, imbuitur. Sed & adipes ita quo-
que prius inspissantur. Adipem quencun-
que volueris recentem, sanguinis expertem,
aliasque habentem notas quas saepe retuli-
mus ubi contuderis, in ollam nouam inii-
cito: & infuso vino albo odorato vetere
quod digitorum octo altitudinem superet,
igni lento conferuefacito, donec odorem
natiuum deposuerit, ac vinum potius redo-
leat. At ubi deposito vase refixerit, duas a-
dipes minas exmito, & in ollam mittito.

M. iii.

adiicitōque vini eiusdem heminas quatuor, seminis loti (eius inquam, cuius ligno tibiarum artifices vtuntur) tusi minas quatuor, ac lento igni identidem agitando coquito. Cūm autem adiposam graueolētiam omnem penitus deposuerit, excolatum refrigerari finito. Tūm sumito aspalathi tusi minam vnam, amaracini floris minas quatuor, ac vino vetere subigitō, finitoque noctem vnam combibere. Postridie in olla fictilem nouam tricongialem ea simulque adipem demittito, & addito vini dimidio congio simul omnia feruefacito. Pōst vbi spissamentorum omnium vim & odorem adeps asciuerit, igni detractum excolatumque refrigerato ac reponito. Quod si odoratiorem reddere volueris, myrrhā pinguisimae drachmas octo vino multorum annorum dilutas ammisceto. Gallinaceum autem & anserinum adipem ita possis odoribus imbuere: Cuiusuis eorum curati heminas quatuor sumito, & olla testacea excipito: ac erysiscētri, xylobalsami, insupérque palmē elatē & calami exactē tusi, ana drachmas xii admisceto: adiectōque vini Lesbij veteris cyatho uno, prunis admoueto, ac ter conferuefacito: mox vase sublato ab igne, quæ in eo sunt diem vnam noctēnque refrigerari finito. Postridie liquata per panum li-

nim lineum mundum in vas nitidum ex-
cclato. Vbi verò coierit adeps, concha e-
xemptum in fistile vas nouum coniicito,
quod arctè operculatum loco perquam fri-
gido reponatur. Cæterū hæc hyberno
tempore peragenda sunt: neque enim æsta-
te adeps concrescit. Sunt qui quò facilius o-
mnia cœant atque concrescant, ceræ Tyr-
rhenicæ momentum admissent. Eadem ve-
rò arte suillus adeps & vrsinus, cæterique id
genus, odoramentis imbuntur.

Quomodo adeps sampsuchi odore imbuatur.

CAP. xii.

Porrò sampsuchi odore adeps imbuitur
hoc modo: Bene curati adipis, præsertim
que taurini, minam ynam sumito, & sam-
psuchi maturi accurate confusi seſquimi-
nam misceto: atque insperso largo re
vino offas conformato, easque in vase operto re-
positas pernoctare finito. Matutinò in fisti-
lem ollam iniectas affusa aqua leuiter co-
quito: cùmque suum odorem adeps exuerit,
ipsum excolatum ac probè operculatum
noctem totam quiescere finito. Postero die
pastillum eximoto, ac detersa forde que fun-
dum petierat, iterum sampsuchi confusi, ut
dictum est, seſquiminam aliam adiicito, si-
militerque in offas cogito. Aliis quoque
que antè diximus peractis, decoquito &

M. iiiij.

colo traicito: ac detracta si qua fundo hæst
spurcitia, loco perfrigido reponito.

De Adipe Anserino & Gallinaceo.

C A P . X C I I .

At si quis incuratum adipem anserinum,
gallinaceum, aut vitulinum, à putredine
tueri velit, ita faciendum est: Ex his assum-
ptum recentem quemuis adipem diligenter
eluito, & supra cribrum in umbra per-
flandum aëtri exponito: ac ubi siccatus fue-
rit, in linteum mundum iniicito, & mani-
bus vehementer exprimito: dein lino traie-
ctum vmbroso in loco suspendito, & post
multos dies noua charta inuolutum loco
perfrigido recondito. In melle quoque af-
seruata pinguia, imputria permanent.

Adipum &c.

C A P . X C I I I .

Vim habent adipes omnes excalfaciendi,
molliendo atque rarefaciendi. Taurinus ta-
men adeps, iréisque bubulus ac vitulinus,
quodammodo astringunt: ad hos proximè
accedit leoninus, quem aiunt etiam insi-
diantibus resistere. Elephantinus verò ac
ceruinus peruncti, serpentes fugant. At ca-
prinus, astringentior: qua ex causa cum po-
lenta, rhoë & caseo decoctus, dysentericis,
exhibitetur, & cum prissanæ succo infundi-
tur. Ipsorum quoque ius phtkisicis in for-
bitione prodest, ac iis etiamnum qui can-
tharidas

tharidas hauserunt ut iliter datur. Hircinus
porro, ut qui validissime discutiat, podagri-
cis auxiliatur, cum caprinis baccis & croco
subactus & impositus. Sed & huic quoque
ouillus proportione respondet. Suillus au-
tem, ad vulvae sedisque vitia accommoda-
tur: & igni quoque ambustis conuenit. I-
dem sale conditus & quam vetustissimus, ex-
calfacit & emollit: vino vero lotus, pleuriti-
cis prodest. At cinere aut calce exceptus,
tum cedematis, tum inflammationibus ac
fistulis conuenit. Asinimum autem tradunt
cicatrices corporis concolores reddere. Por-
ro anserinus & gallinaceus, muliebribus ma-
lis conueniunt, nec non etiam ad labiorum
timas, ad curandam faciei cutem, & contra
aurium dolores. Vrsinus vero, alopeciis ca-
pillos restituere creditur, ac pernionibus
quoque subuenit. At vulpinus, medetur au-
rium doloribus. Fluviatiliu autem piscium
adeps, inunctis oculis claritatem affert, si
quidem in sole liquatus mellique admistus
fuerit. Viperinus vero, contra oculorum he-
betudines ac suffusiones etiam efficax est,
additis cedriæ, mellis Attici & olei veteris
æquis partibus. At pilos abolet alis euulsos,
si recens ac per se ad radicum vestigia illi-
natur.

De Medullis. CAP. XCV.

EX medullis laudatissima est ceruina: mox vitulina: post hanc taurina, deinde caprina & ouilla. Colliguntur verò aestatis ea parte quæ autumno proxima est: aliis enim anni temporibus, sanguinis concrementum & veluti caro friabilis in ossibus reperitur: sed neque facilè dignoscitur, nisi ab eo qui ipsam ossibus extraxerit atque reposuerit. Omnes porrò medullæ molliunt, rarefacient, ad apotherapiam valent, & vlcera explent. Ceruina verò peruncta, venenatas quoque bestias fugat. Curatur autem recens, selectis ossibus adipis in modum: nam & affusa aqua primùm subigitur, deinde per linteum excolatur, ac similiter eluitur, donec aqua pura conspiciatur. Postmodum in duplice vase liquatur, excepta sorde penna, si qua innatet, & in pilam transfunditur: posteaquam verò coierit, fæce quæ subsister accuratè derasa, in fistili vase nouo reponitur. Quod si libet incuratam recondere, eadem omnia facito, quæ de gallinaceo & anserino adipe demonstrauimus.

De omni fellis genere. CAP. XCVI.

FEL omne reconditur hoc modo: Accipitrum recens, ubi os folliculi lino præligaueris, in aquam feruētem deponito, tandem dūque dimittito, dum quis trium stadiorum spaz

rum spatium conficeret: dein exemptum
siccato loco vmbroso ac minimè humecto.
Sed quod ad oculorum medicamenta pla-
cebit adiicere, linea filo deligatum in lage-
nulam vitream, quæ mel habeat, immittito:
& circa lagenulæ osculum obligato fili prin-
cipio, operculum addito atque recondito.
Omnia porrò fellis genera acria sunt & ex-
talfaciunt: maioris tamen minorisve effica-
ciæ ratione inter se se differunt. Siquidem
præstantioris effectus esse videntur fella ma-
rini scorpij, pisces qui callionymus dicitur,
marinæ testudinis & hyænae: itemque per-
dicis, aquilæ, gallinæ candidæ, & capræ syl-
uestris: quod quidem priuatim confert ad
incipientes suffusiones, caligines, argema &
genarum scabritias. Ovillo, hircino, suillo,
atque etiam vrsino taurinum efficacius. O-
mnia verò aluum ad deiectionem inuitant,
præsertim infantibus, si quis eo intinctum
lanæ tomentum sedi admoueat. Priuatim
taurino anginosi cum melle perunguntur,
ac sedis ulcera etiam persanantur, & ad ci-
catricem usque perducuntur. Medetur &
purulentis auribus, earumque fracturis cum
lacte caprino aut muliebri: earundem verò
sibili, cum porri succo instillatum. Ammi-
scetur quoque vulnerariis emplastris, & cir-
cumlitonibus quæ contra venenata parab-

tur. Phagedænicis etiam vleeribus , ac pudendi scrotique doloribus ex melle prodest. Lepras etiamnum ac furfures cum nitro aut terra Cimolia exterit potentissime. OUIL-
LUM & VRSINUM, contra eadem pollut , sed inefficiora sunt: ac VRSINUM quidem ele-
gmate seu linetu comitiales adiuuat. At ve-
rò fel testudinis valet ad anginas & in ore
infantium nomas : idem naribus inditum,
comitialibus prodest. Sylvestris capræ felle
perunōto peculiariter lusciosi sanatur. HIR-
CINUM idem præstat , thymiaque abolet , &
luxuriantes elephanticorum extuberatio-
nes illitu reprimit. SUILLUM autem , contra
aurium vlcera cæteraque omnia vtiliter v-
surpatur.

De Sanguinis Variis generibus.

CAP. XCVII.

SANGVIS anseris, anatis & hœdi vtiliter
in antidota miscetur. PALUMBI autem,
turturis, columbae ac perdicis, recentibus o-
culorum vulneribus: iisdem sigillatis seu
sanguine suffusis, ac lusciosis illinitur. Pecu-
liariter verò columbae sanguis, erumpentem
è meningibus sanguinem inhibet. HIRCI
autem, capræ, cerui & leporis sanguis ir.assu-
tus sartagine & assumptus , dyfenterias &
cœliacorum profluua fistit. In vino verò
potus, contra toxica efficax est. LEPORINUS
calens

calens adhuc illitus, faciei maculas à Solis ardore contractas & lentigines emendat. Caninus commodè propinatur à cane rabiōso demorsis, iisque qui toxicum hauserint. Testudinis, terrestris epotum sanguinem tradunt prodesse comitialibus. Mariñae autem testudinis, cum vino, leporis coagulo & cumino potus, contra venenatarum bestiarum morsus & hausta rubetæ venena conuenit. Taurinus cum polenta impositus, duritias discutit emollitque. At equorum admissariorum sanguis, in septica seu erodentia pharmaca additur. Chamæleonis autem, similiterque viridium ranarum sanguine palpebrarum pilos aboleri creditum est. Menstruus verò fœminæ sanguis, existimatur circumlitu præstare ne concipient mulieres, itemque si eum ipse supergrediantur. Ceterū illitus, leuat podagræ dolores & erysipelata.

De Fimo.

CAP. XCVIII.

ARMENTALIS bouis fimus, si recens admoueatur, inflammations ex vulneribus lenit: foliis autem inuoluitur, & cinere feruenti calefit, atque ita imponitur. Simili quoque modo applicitus vice fotus, coxendicis cruciatus compescit. Ex aceto verò illitus, duritias, strumas & panos discutit. Priuatim verò bouis masculi fimus, pro-

lapsum uterum suffitū restituit: accensi quoque nidore culices abiguntur. Cāprarum, præsertimque in montibus degentium, bacē ex vino bibitæ, regium morbum emendant: cum aromatibus verò potæ, menses ciunt, & partus euocant. Siccae tritæque & cum thure in vellere appositæ, fluxum muliebrem cohibent, aliásque sanguinis eruptions ex aceto compescunt. Vstæ & cum aceto aut oxymelite illitæ, alopeciis medentur. Cum axungia verò adhibitæ, podagricis sunt auxilio. In aceto aut vino decoctæ, serpentium morsibus, herpetibus, erysipelatis & parotidibus imponuntur. Quin & iſchadicis vſtio earum ope administratur ut ille hunc in modum: In eo cauo quod est inter pollicem & indicem, qua parte pollex carpo committitur, lana oleo imbuta priùs subſternitur, ac deinde singulatim imponuntur fimi caprini feruentes pilulæ, donec sensus per brachium ad coxendicem perueniat, dolorēmque mitiget: atque adustio eiusmodi, Arabica appellatur. At verò stercus ovillum ex aceto impositum, sanat epinyctidas, clausos, thymos & pensiles verrucas: itemque ambusta igni, cerato rosaceo exceptum. Aprugnum autem aridum in aqua aut vino potum, sanguinis refectionem fistit, ac diuturnum fedat lateris dolorem: sed ad
rupta

rupta & conuulsa ex aceto bibitur: luxatis
verò exceptū cerato rosaceo medetur. Por-
rò tam asinorum quām equorum fīnum,
sive crudum, sive crematum, addito aceto
sanguinis eruptiones cohībet. Armentino-
rum verò qui herba pascuntur siccum fī-
num, instīccatum vīno, mox bibitum, à
scorpione iectis magnoperè auxiliatur. Co-
lumbinum, quoniam vēhementiū & excal-
facit & vrit, hordeaceæ farinæ vtiliter ad-
misceut, & ex aceto quidem strumas dis-
cūtit: carbunculos verò emarginat, cum mel-
ke, lini semine & oleo tritum: necnon etiam
ambustis igni medetur. Gallinaceum hæc
eadem, sed inefficaciū præstat. Priuatim ta-
men contra lethales fungos & coli crucia-
tus confert, si ex aceto aut vīno bibatur. Ci-
conię verò fīnum ex aqua potum, comitia-
libus prodesse creditur. At vulturinum suf-
fumigatum, partum excutere traditur. Mu-
rinum autem tritum cum aceto & illitum,
alopeciis medetur: cum thure verò & mulso
potum, calculos expellit. Sed & subditæ in-
fantibus mūscerdæ, aluum ad deiectionem
stimulant. Caninum sterlus, quod per Cani-
culæ ardores exceptum fuerit, aridum cum
vīno aut aqua potum, aluum cohībet. At
humanum recens impositum, vulnera ab
inflammatione vindicat, simul & aggluti-

nat. Siccum verò cum melle perunctum, anginosis auxiliari traditur. Terrestris autem crocodili simum, mulieribus confert ad colorandam illustrandamque faciem. Optimum verò, quod candidissimum & friabile, amyli modo leue, in humore statim eliquescens: quodque cum teritur subacidum est, fermentumque redolet. Sunt qui id vendant adulteratum simo non dissimuli sturnorum, quos oryza pascunt. Alij amyllum aut Cimoliam subigunt, & inducto paululum anchusae colore per rarius cribrum in tabulas exprimunt: mox illud qualecumque est vermiculorum specie siccatum pro terrestris crocodili stercore vendunt. [Cæterum humanum stercus siccum, cum melle subactum & gutturi impositum, quemadmodum & caninum, anginosis opitulari inter arcana reperimus.]

De Vrinis. CAP. XCIX.

HUMANAM vrinam suam cuique bibere prodest contra viperæ morsus & lethalia pharmaca, incipientemque hydrozem Marinorum verò echinorum, ac scorpionis itidem marini, draconisque iætus, conuenienter ea fouentur. Canina, rabi di canis morsibus perfundendis idonea est: lepras quoque & pruritus nitro addito exterit. Sed vetus, achoras, furfures, psorias & ferui-

& feruidas eruptiones potentius extergit: quin & nomas, etiam genitalium, cohicit. Purulentis quoque auribus infusa, pus eorum suppressit: sed & in malicorio decocta, vermiculos earum abigit. At impubis pueri absorpta vrina, orthopnoicas confert: decocta verò in æreo vase cum melle, cicatrices, argema & caligines emendat. Quinetiam ex ea & ære Cyprio paratur gluten, auro ferruminando idoneum. Quod autem in vrina subsidit, erysipelata illitu mitigat. Feruefactum cum cyprino & appositum, vteri dolorem demulcet, vuluæ strangulatione vexatas leuat, genas deterget, & oculorum cicatrices expurgat. Taurinum lotium cum myrrha tritum & instillatum, dolores aurium lenit. Aprinum iisdem viribus predictum est: sed peculiariter vesicæ calculos potu comminuit & expellit. Caprinum traditur ad aquam quæ cutem subiit, cum spica nardi & aquæ binis cyathis quotidie bibitum, vrinas & aluum ducere: instillatum verò, aurium mederi doloribus. Cæterum nephriticos ferunt asinino sanari.

De Lynchurio. CAP. c.

Lynçis vrinam, quam Lynchurium appellant, simulatque meintur lapides cere frustrà creditum est: quare vana quoque est & inutilis quæ de eo fertur historia. Est enim

N. j.

quod à nonnullis vocatur succinum pterygophoron, ideo dictum quod pennas ad se alliciat. Id potum ex aqua, stomacho aluoque fluxione laboranti conuenit.

De Melle. CAP. CI.

PRINCIPLEM locum obtinet mel Atticum, quod ab Atticæ regionis monte Hymetto, in quo prouenit, Hymettium appellatur: mox quod è Cycladibus insulis petitur: itemque quod è Sicilia, cognomine Hyblaeum. Magis probatur dulcius & acre, odoratus, subflavum, minimè liquidum, sed glutinosum ac tenax, quodque dum trahitur [ob sequacem lentitatem] in digitos veluti resilit. Porro abstergendi vim habet, ora valorum aperit, humores euocat: qua ratione in sordida ulcera sinuisque commode infunditur. Decoctum atque impositum, disiunctas diuulsive partes agglutinat: lichenibus quoque medetur, coctum cum liquido alumine & illitum. Itemque aurum soniti & dolori cum sale fossili trito tepidum instillatur: pediculos ac lentes illitum enecat: verpis seu curtis glandem quæ citra circumcisio[n]em nudata sit in integrum restituit, si melle præputium à balneo potissimum ad dies triginta emolliatur: depurgat quæ pupillis tenebras offundunt: gutturis etiam ac tonsillarum inflammationibus & anginis